

*voc. non est nec.* Maximè in casu priori, quo expensarum omissio, articulus (sententiæ ut quidem in posteriori expressa ab iis absolutio) videri non potest. Sed si omninò æquum apparuerit, ut victor eas consequatur: ab ipso iudice eas in pœnam reposcet. *l. properandum. 13. §. sive autem. 9. C. de iudic.* Quemadmodum & si victus appellaverit, victor ab eodem superiore iudice, correctionem quoad impensas, sine appellatione, obtinere valebit. *d. l. ult.*

## CCCCX.

*An & quatenus iusjurandum Calumnie remitti possit?*

**E**Xpressè remitti non potest: *l. 2. §. sed quia veremur. 4. C. de iureiur. propt. cal.* tacitè, (quod eo ipso fit, dnm non exigitur) potest. *c. 1. §. propter omissum. de iuram. cal. in 6.* Imò & sic perlonis quibusdam, veluti parentibus & patronis, remitti debet. *l. licet. 7. §. nec deferentes. 4. ff. de obseq. l. si patronus. 16. & l. iusjurandum. 34. §. qui iusjurandum. 4.* (ubi remittitur idem est, quod retromittitur,) *ff. de iureiur.*

## CCCCXI.

*Vtrum de dolo damnatus, qui infamis fieri dicitur, accipiendus sit tantum actione doli Prætoriâ subsidiariâ, an & quavis alia damnatus?*

**V**T quavis actione damnatus (modò expressè ob dolum damnatus sit) accipiatur, facit perpensa ratio, propter quam damnatum infamia sequi-

sequi-